

si incrementum medicamentis & optimâ victus ratione.

Ad *Salutem* terminatur, si lymphæ motus restituitur, & ad coagulum & *σύν* prona resolvitur, glandulæ & fibræ roborantur, non minus quoque viscerum internorum tonus observatur.

Ad *mortem* verò tendit sensim sensimque, tumore crescente, luxuriante, & in ulceratum degenerante, succedente febre lentâ, & subsequo nonnunquam marasmo.

## CAPUT VII.

### *Curationem delineat ex chirurgiâ.*

**C**ONsideratô affectus hujus genio, medendi methodum tribus nitentem indicationibus, ordine evolvimus. In sola enim theoria seu nudâ contemplatione non acquiescere Medicus, sed omnia ad certum finem dirigere debet. Et quamvis cancri occulti curationem, videatur improbare *Hippocrat. 6. apb. 38.* Quibus, inquit, occulti cancri fiunt, non curare melius: Curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt; non tamen omnem curationem, sed potius religiosam & medicamenta, quibus malum magis exacerbari potest, rejicit, hinc melius esse ducit negligere, quàm hunc silentem quasi canem irritare. Quæ verba etiam suprâ laudatus *D. D. Wedelius* optimè ita explicat in *Amanitat. M. M. p. 52. & 53.* Quibus occulti cancri, (tecti, non aperti, latitantes intus, nondum se exerentes aperto Marte) fiunt, non curare (seu emollientibus seu aperiendo cum ferro, cum nullum pus subsit, quod evacuari desideret, sed potius materia suppurari inepta) melius (tolerabiliusque est, cum ex duobus malis eligendum sit minus, cumque si prodesse non possimus, saltim non obesse debeamus) curati enim (hòc pactò  
C præ-